

Q. B. V.

DISSERTATIO ACADEMICA

De

CONSENSU SPONSALITIO;

Quam

*Suffragante Amplissima Facultate Philosophica
in Regia Academia ABOENSI*

PRÆSIDE

VIRO Amplissimo atque Celeberrimo

Mag. HENRICO HASSEL,

Eloquent. Professore Reg. & Ord.

Ad publicum examen modeste defert

ABRAHAM GAB. THAUVONIUS
OSTROBOTNIENSIS

Die 29. Maij. A. MDCCXXXIV.

loco & horis consuetis.

ABOÆ, Excid. Joh. Kiämpe Reg. Acad. Typ.

Nobilissime atque Consultissime Domine

D^N. GEORGI MALM,
Regii Regnique Judicij, qvod Aboæ est, Adfessor
Gravissime,
Patrone incomparabilis.

PLura sunt & majora, que in me contulisti beneficia,
quam, ut illis pro merito depraedicandis, mea sufficiat
tenuitas. Qvo enim tempore mibi commissi erant Nobilissimi Tui filii, literis moribusque formundi, non tantum
benignissimum Patronum, sed potius indulgentissimum va-
rentem Te praefitisti. Neque exinde Tua erga me be-
nevolentia decravit. Res quippe meas nutantes,
consilio & opera sustinuisti. Quoniam igitur alio in-
dicio pium ac venerabundum animum testari non vale-
am; basce studiorum primitias ad Te, cœn Numen quoddam
tutelare fero, humillime rogans, auctorem solito favore
amplecti digneris.

Nobilissimi Nominis Tui.

humillimus cultor

Abraham Gab. Thauvonius.

Admodum Reverendo atque Preclarissimo VIRO

Dn. Mag. CLAUDIO HEDMAN,
Civita is Watsonis, ut & Ecclesiarum, qvæ Deo
in Mustasari & Qiveflor colliguntur, Pastori fide-
lissimo, adjacentis districtus Præposito Dignissimo,
Scholæqve ibidem Trivialis Ephoro
adeturatissimo.

Admodum Reverendo atque Preclarissimo VIRO

Dn. Mag. ANDREÆ KIEMMER,
G Carlebyensium Pastori & Præposito
gravissimo.

Plurimum Reverendo atque Clarissimo VIRO

**Dn. Mag. HENRICO JOHANNI
CARLBORG,**
Ecclesiarum, qvæ Deo in Nerpis colliguntur Pasto-
ri Vigilantissimo,

Consultissimo VIRO
Dn. ANIPHÆ PARMENT,
Civitatis Christinæ Consuli Dexterrimo.

Consultissimo VIRO
Dn. MARTINO POLVIANDER,
Vicario Judicij Territorialis Dexterrimo.

Spectatissimo VIRO
Dn. JOHANNI BLAD,
Consiliario & Mercatori Wasensi
Prudentissimo.

Patroni atque Fauto-

Vobis, Patroni atque Fautores estimatissimi, leves has
beneficia, que abunde in me collectas, gratum te-
benigno vultu, excipiatis, & quam bactenus mibi exhibui-

Admod. Plur. Rev.
Nominum

Obser-
Abraham Gab.

Consultissimo VIRO
Dn. JOHANNI WESTRING,
Civitatis G-Carleby Consuli Dexterrimo.

Per quam Reverendo atque Clarissimo VIRO
Dno. JOHANNI HORTELIO,
Primario Ecclesiæ Fennicæ Chorali laudatissimo.

Spectatissimo VIRO
Dn. DANIELI KIEMPE,
Senatori & Mercatori Neo-Carlebyensem
Prudentissimo.

res optimi, æstumatissimi.


cogitationes de sponsalibus dicatas volui, ut animum ob
starer. Quod itaque offero interpretamentum reverentia,
stis benevolentiam in posterum continuet!

Consult. Spec^t.
Vestrorum.

vantissimas
Thauvonius.

CONSPECTUS.

- §. I. Necessitatem conubiorum in societate humana demonstrat.
- §. II. Pacta sponsalitiz Conjugium antecedere debere probat.
- §. III. Sponsaliorum definitionem tradit.
- §. IV. Errorenz Papistis de Conjugio inter sacramenta habendo examinat.
- §. V. In personis sponsalia inituris habilitatem physicam requirit.
- §. VI. In iisdem habilitatem moralem exigit.
- §. VII. Signa externa consensum sponsalitium declarantia proponit.
- §. VIII. Consensum sponsalitium a coactione vindicat.
- §. IX. Illam i dolo immunem exhibet.
- §. X. Ab eodem ignorantiam & errorem remonet.
- §. XI. Consensum Parentum circa sponsalia postulat.
- §. XII. De Conditionibus sponsaliorum agit.
- §. XIII. Sponsalia impuberum expendit.



§. I.

T Omines natura destinatos esse ad genus propagandum indubie constat. Indicant hoc membra apte fabricata ad id muneris obeundum. Idem mutua sexuum ad se invicem propensio evincit. Hanc insuper veritatem illustrat eximius ille amor, quo parentes & matres præcipue sobolem amplectuntur. Sed hæc omnia reperiuntur in brutis etiam animalibus. Animadvertis praeterea homo necessitatem moriendi sibi incumbere ; unde nisi in locum abeuntium nova succederet progenies, & senio confectos misera exciperet conditio, & mutidos demum præstantissimo incola orbaretur. Hinc facile colligit se non minus prudentia legibus,

A

gram

qvam ipso Juris Naturalis dictamine obligari ad
nobile genus ab interitu vindicandum. Verum
has qvoque partes exequor etur Venus licentior,
& nullis connubiorum legibus adstricta. Quare
monum aperuimus fontes, unde sanctior illa
inter marem & fœminam consociatio sit deri-
vanda. Indolem itaque fortis humanæ ulterius
consideremus. Cetera animalia fetus enituntur,
qui simul ac in lucem prodierunt, vel ipsi ad
matrum se ubera applicant, vel efcam ab il-
lis oblatam hianti ore excipiunt, & post breve
temporis intervallum, illarum non indigent cura.
Ast homo circa prima vitæ initia, illis longe
imbecillior operosam exigit aliorum curam, ut
ab infirmitate sibi congenita eluetetur. Qvan-
to insuper labore opus est, ut scientias & artes
percipiat, qibus idoneum societatis membrum
evadat? Hæc autem in liberos officia tanti
sunt ponderis, ut sola matrum industria illis
parum sufficiat. Optime hoc absolvitur nego-
tium, ubi qui in generanda prole corpora so-
ciarunt, in eadem educanda, & animos & con-
silia & operam jungant. Qvis vero istam age-
ret

ret curam sobolis, quam suam esse non crederet? Vir igitur si hoc subeat onus, de thori socia sibi prospiciet, quae non alii prater ipsum corporis usuram concedat. De cetero, ut homines communis inclinatione, illos, qui ex se descendunt singulari benevolentia proteguntur, eorumque rem quam laudissimam esse cupiunt; ita bona a se relictâ vita functis, ad illos derivari exoptant. Quinam autem jure naturitatis sui hæredes sunt, non aliter constare potest, quam si certa ex conjugi fuerint progenati. Huc pertinet etiam, quod suum in posteris nomen perennari desiderent. Neque id expectare licet extra thorum unius fidei consecratum. Hæc sunt principia, ex quibus originem matrimonii repetere decet; Unde sequitur in societate humana instituta esse connubia, non ob solam generis propagationem, sed juxta ut soboles honeste instituatur, familiarium discrimina obseruantur, & certæ sint hereditates.

§. II.

ET si Jus Naturale genus humanum obliget ad
A 2 vi.

vitam conjugalem; hoc tamen non ita est accipiendum, ac si eam ob causam cuilibet cum qualibet, & vice versa ex solo alterius partis arbitrio matrimonium inire liceret. Repugnat hoc hominum naturæ, in qua tam variantes instinetus etiam hæc in re cernimus, ut quam alter personam vel parum diligit, vel omnino aversatur, ad eam amandum impetu quodam, & vi sibi nonnunquam ignota feratur alter. Imo quidam adeo dispari sunt ingenio, ut facilius sit contraria mundi elementa ad concordiam revocare, quam illos unanimes reddere. Sæpe quoque insignis nostra felicitas in eo est posita, quod hanc potius, quam illam conjugem accipiamus. Unde liquet conjugium præsupponere antecedentes inter marem & feminam conventiones. Hæc ex ritu stipulationis & sponsionis Romanis usitato sponsalia sunt dictæ, de quibus in præsenti agere constituimus.

§. III.

Quemadmodum non aliunde facilius errores existere possunt, quam ubi illud ipsum, de quo agendum est, non distincte proponi

ponitur, & ab aliis eidem affinibus limitatur ; Ita hæcce cautela circa materiem substratam, vel ideo maxime necessaria videtur, qvod ejus neglectus hic infinitas quæstiones & plurima peperit absurdia. Per sponsalia itaque l:mo jam non intelligimus tractatus illos, quæ conventiones de secuturo matrimonio antecedunt ; neque 2:do ritus circa pacta sponsalitia adhiberi solitos ; neque 3:to stipulationes illas, quibus sponsus & sponsa matrimonium jam inituiri mutuam fidem obstringunt, quippe quæ ad solennia conjugii spectent. Sed nos hoc loco designatum volumus ipsum pactum inter marem & feminam de futuro conjugio , & qvod ab hoc seu complemento suo, aliquo temporis intervallo distinguitur ; idque sine discrimine annuerit purum seu conditionatum. Sponsalia a matrimonio probe sunt discernenda. Neque hoc adeo difficile est , modo iura diversa horum fœderum consideremus. Palmarium æstimamus, qvod matrimonium includit jus conjugum in corpora. Et ubi enim id non datur, inter hos nondum exstitit conjugium. Neque sponsa-

sponsalia jus corporum admittunt, qvod si ac-
cesserit, in verum abeunt conjugium, siquidem ali-
unde non intervenierit impedimentum. Cetera
jam prætereo jura, cum singulis harum con-
ventionum conjuncta, qvæ & ratio indicat, &
leges passim exprimunt civiles.

§. IV.

NE quid impedimenti nobis obveniat in
sequentibus, ex persuationibus illis falsis,
quæ circa præsens negotium diu mundum fa-
scinarunt, hæ primum sunt removendæ. Inter
alios errores Papisticos non certe levissimus e-
rat, quod matrimonium in numerum sacra-
mentorum referrent. Ex hoc fundamento caus-
æ matrimoniales ad forum Ecclesiasticum in-
totum & solidum devenerunt. Inde quoque fa-
ctum est, quod principiis rationis exclusis, so-
lum Papæ arbitrium omne hic tulerit punctum.
Erroneum hoc dogma nostrates Theologi solis
de refutarunt. Argumenta eorum hue præci-
pue tendunt, quod in omni sacramento pro-
prie sic dicto, requiratur clementum aliquod

visible quo gratia invisibilis conferatur. Atq; iidem subsumunt nullam existare promissionem Divinam de gratia aliqua cœlesti per matrimonium tanquam cauillam sacramentalē largienda, ergo concludūt matrimonium non esse sacramentum. Quæ pro sententia contraria proferuntur, siculnea sunt argumenta. Eadem benedictio, quæ datur protoplastis Gen. I. v. 28, antea concessa fuit animalibus, & quidem totidem fere verbis v. 22. Neque aliquid probatur ex illa phrasē, quod futuri essent in carnem unam v. 24. Nam hæc copulam carnalem designat. I. Cor. VI. v. 16. Matrimonium non temere solvendum esse docuit Christus ex prima institutione. Matth. XIX. v. 4. s. 6. Sed hoc præceptum natura etiam constat. Ejusmodi enim divertia, qualia probarunt Pharisæi, finem coniugii destruunt. Unde licet apud Romanos legibus quidem vetitum non esset, uxores pro arbitrio dimittere, inter inhonesta tamen & turpia estimabatur Conf. Grotii comment. in h. l. Neque infrequens erat Phrasæis fovere opiniones justitiae naturali aperte contrarias. Conf. Matth. XV.

v. §. 6. & Marc. VII. v. II. Neque pro altera parte quidquam inde probatur, quod per matrimonium propagetur Ecclesia. Verbum enim Dei, Baptismus & t. Cœna, virtutem habent spiritualem plantandi & conservandi Ecclesiam. Per matrimonium autem homines nascuntur caro de carne, idque naturali modo. Conf. Psalm. LI: v. 17. Quid si conjugium hanc ob causam foret res spiritualis, ipsa copula, quæ ad hunc finem immediate dirigitur, potiori jure spiritualis diceretur, quod tamen nemo facile admiscerit, nisi in sensu physico. In epite etiam citatur locus apud Paulum Eph. V. v. 22; ubi non de conjugio prædicatur, quod sit mysterium, verum de unione inter Christum & Ecclesiam. Invocatio Nominis Divini circa matrimonium exhibenda nobis minime adversatur. Hæc euim circa qualibet Christianorum negotia necessaria est. Conf. Coll. IV. v. 17: Neque benedictio sacerdotalis novam conjugio indolem addit. Nam illa caret mandato Divino & longo tempore in Ecclesia non erat usitata, jam vero libe-

libere recepta, ut ritus quidam boni ordinis cauſa
 retinetur. Dari leges Divinas, qvæ de matrimonio
 præcipiunt, qvis ignorat? Num vero eapro-
 pter conjugium in sacramentum vel aliquid sa-
 cramento analogon transformabitur? Fatemur
 cum Paulo legem esse spiritualem Rom. cap.
 VII v. 14; sed omnia ejus objecta non ideo
 evadunt spiritualia; qvod nemo sine craſſa qua-
 dam absurditate aſſereret.

§. V.

POſtquam evicimus, neqve matrimonium,
 nedum sponsalia aliquid continere sacramen-
 tale, ad institutum quo cœpimus tramite re-
 grediamur, doctrinam de sponsalibus ex Juris Na-
 turalis fontibus explicaturi. Neqve leges Divinas
 præteribimus, præsertim ubi exigunt, qvod ratio
 ſola hic demonstrare non valet. Et qvoniam
 sponsalia inter pacta retulimus, qvod de hisce
 tradit Jus Naturæ, fundamentum erit, quo no-
 stra nitetur diſquisitio. In pactis vero Personar-
 rum, qvi illa inibunt, habilitas in primis venit
 conſideranda, qvæ etiam in sponsalibus observa-
 ri meretur, & qvidem priori loco physica. Spon-
B Italia

falsa spectant futurum Matrimonium, hoc autem propagationem sibolis intendit, ceu ante diximus, ergo qui vitio naturali ad generandum sunt inepti, inter hos conjugium locum habere non potest, & per consequens neque sponsalia. Virginea matrimonia in se sunt nulla. Fines etenim, quos verum conjugium sibi propositos habet, hic exultant omnino. Neque in Republica recte instituta ejusmodi sociates admitti debent. Quod senibus & vetulis effoëtis hæc licentia concedatur, ex particulari indulgentia legum derivant.

§. VI

PRÆTEREA HABILITAS quædam Moralis ad sponsalia requiritur. Matrimonium inter omnes contrahi non posse agnoverunt gentiles, quod etiam Christiani communiter admiserunt. Et inter quos non conceditur matrimonium, inter hos irrita sunt sponsalia. Fundamentum vero ejusmodi limitationis proprium determinare non adeo est expeditum. Qui ad Ius Naturale recurrent, neque eidem vestigio insistunt. Alii ad Reverentiam sanguinis provocant; sed

num illa pectori humano sit insita, & quem
 cum statu rationali nexum habeat, difficilior pro-
 batur. Si filio non licet matrem uxorem du-
 cere, quia tum dignitas mariti cum filiali re-
 verentia collideretur, eo turius pater filiam
 acciperet conjugem, quum hoc modo & sua
 auctoritas & ejus obsequium duplici vinculo
 firmaretur. Quidam amicitias per affinitates dif-
 fundendas esse urgent; verum neque illis pro-
 num est affirmare, num hunc ubique fortian-
 tur effectum. Experientia quippe docet litigia
 de hereditate cum illis haud raro esse conju-
 ncta. Qvod si hoc amplectemur principium,
 ultra gradus tamen affinitatis extendi non pos-
 set, cum aliorum juxta ratio queratur. Non
 nulli dicunt licentiam connubiorum certos in-
 tra limites concludendam esse, ne familie mu-
 tuis nexibus implicatae nimiam potentiam ad-
 quirerent. Ast vel hoc obice remoto, pauciorum
 amor ad sanguine proximos inclinaret, quam
 ut inde societati communi immineret pericu-
 lum. Quid? quod hoc pacto nobilioribus fa-
 miliis consulteretur, quibus conservandis durio-

ra multi remedia excogitarunt. Plus ponderis habere videtur, qvod si fratres inter & sorores connubia permitterentur, liberior inter hos conversatio ad illicitos amores aperiret fenestram. Sed si alia non subesset ratio, nec defuturi forent modi, quibus hoc malum occupari posset, nisi connubia inter illos absolute prohiberentur. Christianus Thomasius se hunc nodum soluisse opinatur, ubi suum invenit principium decori. Ex hoc enim natura cognito, gradus prohibitos sufficienter demonstrari contendit; cuius auctoritatem & Ieti & Philosophi non pauci postmodum sunt secuti. Fatemur qvod hoc compendio multe difficultates evitarentur, modo firmo id niteretur fundamento. Verum num detur decorum naturale adhuc sub judicelis est. At hanc controversiam nostram non facimus. Sic aliquod Naturale descrimen inter decorum & indecorum; sed quam hoc admittit relationem ad gradus prohibitos? Quid inqva matrimonia, inter gradus hostes contracta, continerent, quod decoro quoctunque modo accepto adversaretur? Hoc itaque principium

est petitio principii, neque ex statu rationali demonstrabitur unquam. Ex dictis constat eos admodum vacillare, qui gradus prohibitos ex jure Naturali eruere conantur. Quin ausim affirmare cennubia in istis gradibus Justitiae Naturali non repugnare. Si enim ita fures haberet, Deus certe non unum duntaxat hominum par condidisset, adeoque in causa fusset, cur totum genus humanum ex concubitu natura illicito suam duceret originem. Lex Naturæ est immutabilis, quam ipse ejus Author neutiquam infringit. Recurrentum itaque hie est, ad jus aliquod Divinum Positivum. Leges, quæ extrant Lev. XLIX. non pertinent ad solum populum Judaicum; sed universum genus humanum obstringunt. Patet hoc ex v. 24. ubi verba sic habent: *Ne polluite vos omnibus his: quia omnibus his polluta sunt gentes, quas ego sum ejicierurus coram vobis.* Ob transgressiō nem legum Populo Israēlitico latarum gentes puniri non potuerunt. Nec legimus usquam Deum ab illis exegisse observantiam Juris forensis Hebræorum. Restrингunt nonnulli hæc

hæc verba, ad peccata v. 22. & 23. prohibita. Sed ista interpretatio manifestam infert vim textui sacro. Quamvis itaque tempus & modum promulgationis harum Legum sacræ literæ non tradant, veritas tamen rei ideo non est neganda. Sed dicas Patres v. g. Abrahamum & Jacobum matrimonia contraxisse his legibus aduersa, qvod tamen a Deo reprehensum non commemoratur. Respondemus: Quemadmodum leges illæ fuerunt positivæ; ita Deus circa illas dispensare potuit salva sua justitia; qvod factum fuisse credibile est, licet id in sacra historia non sit expressum. Neqve enim omnia Divina commercia cum sanctis ibi exponuntur. De cetero cum sanctorum virtutes æmulari non valeamus, ad naves eorum seu exempla frustra provocamus. Disquirunt etiam, tantum ne vetitum sit conjugium inter personas Levit. XIIIX. enumeratas, an hæc prohibitio ad similes quoque gradus extendatur. Posterius multi ex Theologis & iustis defendunt. Argumentum præcipuum desumunt ex v. 6. assertentes ibi generalem tradi regulam, sub qua com-

comprehenduntur casus in sequentibus non expressi, ex illa tamen ob identatem rationis intelligendi. Qui contrarium propugnant, urgent Jure Naturali licetum esse contrahere matrimonium cum qualibet feminâ; quod Jus Positivum hic sanctit meras esse exceptiones; juxta autem constare, quod quidquid a regula specificie exceptum non sit, sub illa contineatur. Nec vident, cur si interpretatio extensiva locum haberet, iidem gradus h. cap. v. 12. 13. 14 prohibeantur, eademque prohibitio cap. XX. v. 19. repetatur. Addunt neque in veteri, neq; in novo Testamento occurrere exemplum computationis secundum gradus factæ. Et hac fuit sententia Lutheri, Tom. II. Oper. Geom. Jenens. ubi Fol. 252. sic scribit, Gott rechnet nicht nach den Gliedern / wie die Juristen thun/ sondern zuletzt strack die Personen. Sed hic judicium suspendimus, venerantes monitum Lutheri, eod. Opere pag. 257. Der Eipschafft halber und glieder der freundschaft / wäre mein rath/ man liese es bey weltlichen rechten bleiben. Atque ad hoc nos obligat Jus Divinum, in omnibus,
que

quæ a Deo interdicta non sunt, Magistratui obsequendum esse injungens. Ex hisce jam sequitur, si valida sint sponsalia, cavendum esse ab illis gradibus, de quibus in lege Mosai-ca praeceptum exstat prohibitivum, & qui ex quorundam opinione huc referuntur, saltem non permittuntur ab imperio civili.

§. VII.

Veniamus jam ad id, quod caput rei est, consensum ne^mpe in federe sponsalitio considerandum. Hic omnium pactorum essentiam constituit, in sponsalibus eo sanctius observandus, quo ille majoris est ponderis contractus. Quam autem consensus manifestari non possit, nisi per signa externa; hæc ex circumstantiis probe sunt examinanda, an ex deliberatione adhibita fuerint ad verum animi propositum indicandum. Non itaque licet insidiose captare verborum formulas, quas incitante subitanæ amoris impetu lingua lubricum profudit. Verba honoris (quæ vulgo comple-menta dicuntur) a feria voluntatis declaratione discernere oportet. Literæ amatoriæ earumque

fiosculi hyperbolici inter ineptias referantur. Usus annuli circa sponsalia vetustissimus est, & plerumque habetur pro certo contractus hujus plene initi documento. Argumentum vero inde sumrum si valeat, dispiciendum est, an tractatus antecelerit, & an in eum finem annulus datus fuerit & acceptus, ut sit pronubus; circa quo i estimandum morum variis in locis receptorum consideratio plurimum adferit momenti. Nec dubium, qm surdi quoq; & muti sponsalitium fedus percutere queant, ubi vel nutu vel alio gestu aut scripto cogitationes aperiunt. Atq; si Jus Naturæ spectemus, perinde tuerit, five verbis, five scripture, five quo cunque indicio vera ac indubia animi sententia proferatur.

§. VIII.

AB externis signis consensus ceu phenomenis qvibusdam ad interna ejus requisita progrediamur. Si qvis vere consensisse affimetur, spontaneam voluntatis inclinationem adfuisse oportuit. Accidit eqvidem haud raro, ut variæ cupiditates animum dimoveant ab eo,

qvod ratio probavit; sponte tamen homo exorbitantes potius impetus, quam rationis consilia seqvitur. Et qvi ex hoc principio erravit, habet qvod sibi imputet, neqve ideo minus firmum erit negotium contractum. Qvod si ejusmodi valeret exceptio, nunquam defores praetextus, qvibuscunque contractibus irritandis. Circumstantiae tamen, ut ante monuimus, diligenter sunt ponderandæ, ne ex levissimis signorum umbris inferamus consensum, qvi serius erat nunquam. Vim autem & coactionem, hic intelligimus externam h. e. talem, qvx ab alio proficiscitur, qvi periculo vitæ, membrorum, bonæ existimationis, vel alio malo presentato, aliquem compellit ad id promittendū, a qvo animo abhorret, & qvod nunquam promissurus fuisset, si iste absuisset metus. Non desunt, qvi existiment talem promissionem in se validam esse, quamvis ex æquitate rescindi possit. Hanc adferunt rationem, qvod ejusmodi in casu etiam adsit consensus, licet conditionatus i. e., qvod metu remisso non consentiretur. Sed hæc mera est illusio. Verus namque consen-

sensus æstimandus est seria ex animi probatione,
 quam explicare debent indicia externa. Ubi quis
 metu stimulante præ se fert, quod animo deter-
 statur, non contentit sed simulat consensum.
 Unde in pari culpa versatur, qui honestæ fe-
 minæ nuptiis ideo potiretur, quod hanc ad
 illas pollicendum vi adegit, ac si manifesta vi-
 olentia ejus publicitatem expugnasset, quo nihil
 justitiae magis esse potest contrarium. Frustra
 igitur ad solam æquitatem confugimus, cum
 justi principia sufficiant. Num vero quisquam
 jus habet alios ad vitam conjugalem cogendi?
 De imperio civili quid sentiendum sit primum
 dispiciamus. Apud Romanos coelibatui opposita
 erat Lex Papia Poppæa de connubiis; quam
 revocavit Augustus commemorante, Tacito Lib.
Annal. III; abrogavit vero Constantinus ceu nar-
 rat Sozomenus Hist. Ecclesi. Libr. I. Lycurgus qui
 adduci non possent, ut acciperent uxores, illis hanc
 definitivam pœnam, quod a spectandis quibusdam
 certaminibus arcerentur, ac hyeme juberem-
 tur a Magistratu nudi in orbem circumire
 forum, atque inter circumneundam cantare car-

men quoddam in se compositum. Plutarchus in Lycurgo cap. 26. Nec delunt aliarum Genium instituta, qvæ ab hac non procul abluerint severitate. Non tamen facile invenias exemplum, qvod a Magistratu cives absolute coacti fuerint ad conjugium, sed ejuscemodi incommoda cœlibatui proponebantur, ut vietam lociam potius eligerent, qvam illa sustinerent. Nihilominus hic etiam erat coactio. Nam si illæ absuissent castigationes; multi in cœlibatu permanissent, qui jam in finum uxorium ceu asylum quoddam se receperunt. Sapientissimus universi Auctor illos ad sui simile generandum stimulos indicit naturæ humanae, ut subsidium Legislationis Civilis hic parum desideretur. Pauci enim sunt, qui conditione honesta oblata hisce vinculis implicari nolint, si quidem vitio naturali non laboraverint, & conscientiæ habuerint curam. Sed tum circa præfens negotiorum suo recte fungitur officio Legislatoria Potestas, ubi licentiam stuprorum coeret. Et qvod id Rome ac Lacedæmonie, ut oportuerat observatum non erat, inde leges i-

stas ineptas prognatas fuisse arbitramur. Ad con-
nubia non sola corporum communio satis est; a-
nimorum conjunctio præcedere debet & comita-
ri. Hanc vero nullæ leges efficere valebunt. Et
quomodo locum habebit, ubi quis ideo tan-
tum ingratum thalamum concendet, ut infamiam & alia damna evitet? Nec male mulier illa Panegyres apud Plautum pronunciat:
Stultitia est, canes invitatos venatum ducere. Ho-
stis est uxor, qua invita ad virum datur. A
Magistratu progrediamur ad Parentes, illorum
expensuri potestatem circa liberorum sponsalia.
EIAM hic largi admodum erant Romani. Fi-
lii quidem familias inviti non despondebantur;
filiarum autem longe deterior erat conditio. I-
mo filiarum nuptiae ante pactæ testamentariis
tabulis intercebantur. Semper etenim valebat
presumtio, quod feminæ contra propria com-
moda laborarent, h.e. sibi prospicere non pos-
sent. Hoc injustum fuisse evidenter est.
Urgemus ante dicta, absuisse consensum, qui
ipsam pactorum essentiam ingreditur. Præter-
ea jura Parentum in liberos estimari debent ex

fini-

finibus suis, qui sunt honesta educatio, & procuratio illorum, quae pertinent ad liberorum felicitatem. Verum ab hoc scopo longe defleteret licentia invitos & reluctantes ad communia compellendi, qua salus illorum in maximum adduceretur discrimen. Atque id tam de illo intelligendum est casu, quem ad vitam conjugalem cogitur, qui cœlebs vivere vellet, quam de hoc, ubi persona a conjugio quidem non aliena jungitur illi, a cuius abhorret societas. Quando autem vera adsit coactio vel non, ex ratione personarum, earumque aetate, sexu, aliisque circumstantiis est dijudicandum. Neque persuasiones crebræ, bona intentione sine minis & acerbitate factæ veniunt in censum. Quod si sponsalia per metum primum inita fuerint, sed personæ coactæ approbationem seriam verbis & facto ipso postmodum declararint, neque exinde admittitur exceptio metus.

§. IX.

ANimadvertunt homines vim & coactionem plerumque parum valere ad vinculum connubiale firmandum. Unde quod cogendo non

non possunt, fallendo nonnunquam efficer
conantur. Dolos igitur ceu retia objiciunt in-
cautis. Sic Pauper divitem se jactat, homo in-
fimæ sortis nobilitatem simulat, & prostibulum
vile mentitur pudicitiam, ut optatis amioribus
potiantur. Omnis autem consentus hoc præsup-
ponit, quod res talis sit, qualis proponitur
& habetur; qua conditio cessante, neque
ab initio ullus exsttit consensus. Distinguunt
inrer substantialia & accidentalia sponsalorum,
affirmantes dolum circa illa non hæc negotium
irritare; verum istam distinctionem non ad-
gnoscimus. Nam sœpe ita respicitur ad acci-
dentalia ut sine illis consensum non fuisset. Si
femina novisset ignobilem esse, qui genus de-
predicat, illi nuptias petenti statim dedisset re-
pulsam. Nec iustitia admittit, ut quis fructum
percipiat malitiae suæ, sive circa substantialia
sive accidentalia versetur. In aliis contractibus
non quilibet dolus negotium solvit, sed qui
alterum decipit, tenetur ad id quod interest. Ast
hic fallacia ejusmodi haud raro complectitur
momenta, quæ restitui nequeunt, Saltēm u-
bi

bi altera pars in ipso exordio se deceptam fuisse intelligit, vix ac ne vix quidem inde locus daretur confidentiae illi, quæ societatis conjugalis est anima; sed maneret semper hæc radix, unde discordiae & plurima mala progingerentur. Neq; magnopere inquirendum esse existimo, an dolus facile detegi potuerit, modo iusta diligentia adhibita fuisse. Quod si vel nimia fuisse credulitas alterius, nihilominus favor erit pro innocentia. Verum si post initum contractum aliquis interveniret dolus, forte ut alter in proposito magis confirmetur, hic vix attenditur, modo non ejus ratio habebatur, quum sedis sponsalium percuteretur. Insulsum autem foret si quis ob dolum proprium sponsalia vellet solvere. Nemo enim in facto suo iniusto fundamentum exceptionis querere potest. Ast si tertius sine collusione cum altera parte dolum interposuit, num id pactum sponsalium vitiabit? Sententiam negantem amplectitur Samuel Strykius Fil. Magni nominis Ictus de dissensu sponsalitio. Section. II. §. 16. hac inductus ratione, quod dolus tuus duntaxat ir-

ritum constituar negotium, ubi proficiscitur ab eo, cum qvo contrahitur, ne ei dolus suus prospicit. Verum ante diximus consentum esse nullum, qvum nuspiciam exstat conditio, qva nascitur. Et ubi hæc non datur, ibi neque alteri jus nascitur, qvod in illa tantum fundatur.

§. X.

Nihil autem consensui tam contrarium est ac error, ex communi regula istorum. Sed in quantum hic sponsalibus validum objiciat impedimentum, non adeo facile est determinatu. Quemadmodum conjugium est maximi momenti negotium; ita nec ad illud, temerario impetu properandum. Quare omnia prius exquirere oportet, qvæ & mores & statum alicujus concernunt, qvam fides connubialis eidem promittatur. Unde qui hoc negligit, ipse est in culpa, qvod erravit, adeoque si quid mali inde evenerit, id eeu justa negligentia peccata sustinendum esse videtur. Propterea, si qvilibet error causa foret legitima solvendi sponsalia, quis a pacto hoc resilire cupiens non

præsentem haberet colorem, quem perfidiae inducere posset? Contra vero, si error hic nunquam attenderetur, infelicitissima scepe existerent connubia. Et, ut mala quantum fieri potest præveniantur, reipublicæ interest quam maxime. Recurrentum itaque est ad fundatum ante locatum, & videndum, an verus unquam extiterit consensus nec ne. Si illud ipsum circa quod erratum tanti sit, ut constet, quod si altera pars id exploratum habuisset, nunquam consensura fuisset, nullitas consensus manifesta evadit. Sed quomodo explorabitur, an qui hac utitur exceptione, ubi pactum sponsalium inibatur, revera ignoraverit, quod se ignorasse jam contendit, & an error iste non sit prætextus, sed vera causa, cur ab obligatione istius contractus velit liberari? Respondetur: Id scepe ex circumstantiis liquido cognosci potest. E. g. si, qui de errore suo conqueritur est vir honestus, & id circa quod errorem commisum fuisse dicit, grave admodum, facile colligitur non fictam aliquam causam proferri. Verum si res adeo plana non fuerint.

fuerit, rationes tamen semiplenæ se obtulerint, ut in aliis ejusmodi casibus fieri solet, jura-
mentum suppletorium in subsidium vocandum.
Hæc autem sunt momenta quæ consensui spon-
saliæ præcipue adversantur. Itmo, si mores
personæ desponsatæ corruptissimi sunt, quæ pro-
bitatem simulaverat, adeoque meliora de se
sperantem fefellerit. Illico, si eadem, crimen com-
miserat, quod vel horrorem excitat, ut ho-
miciudium, vel infamiam inurit, ut furium &c.
De stupro eo minus est dubium, quod si et-
iam post initum matrimonium innoverit, id ante
admissum fuisse, hoc justa divorciæ caussa
habeatur. III:to, Ubi sacra diversa secatur is,
quem eandem profiteri religionem ante credi-
derat. Si non prius, saltem circa educationem
liberorum hinc dissidia existere solent. IV, er-
rorem conditionis inter causas repudii referunt
Canonistæ; quia si alter hujus gnarus fuisset,
nunquam sponsalia contraxisset. *Vid. Stryk.*
de diff. desponsat. XXXV. Ob hanc tamen igno-
rantiam repudium difficilius conceditur. *Conf.*
idem §. XXX. Dicitis insigne pondus accedit ex

eo, qvod errorem ab altera parte, in casibus
jam enumeratis, dolus alterius ut plurimum co-
mitetur. Nemo quidem ad hoc obligatur, ut
qvaे ad se pertinent, omnibus exprimat; Ve-
rum in negotio connubiali, reticentia cuius-
dam alii fraudi esse non debet. In contractu
emtionis & venditionis, non minus vitia quam
virtutes rei indicari oportet. Qvomodo autem
ille a dolo erit immunis, qui omni studio hoc
agit, ut in aliis vel exciter vel confirmet o-
pinionem falsam, quam veram cognoscere il-
lis, quam maxime est necessarium? Ponderan-
da admodum sunt, qvaे profert Lutherus Lib.
von Ehesachen/ Tom. 6. Witceb. fol. 269. Wan
ein man solchen mangel hernach an seiner
Braut findet / das er sie nicht genommen
hätte / wo er's zuvor hätte gewußt; sol er ja
billig frey seyn/ sie zu lassen / den er hat sie
mit solchen zusätz nie bewilligt zu nehmen.

§. XI.

Probavimus antea Parentibus Jus non com-
petere, quo vel liberos coelibatum eligen-
tes ad vitam Conjugalem compellere, vel et-
iam

iam si matrimonium inire voluerint, huic aut illi personæ contra voluntatem illorum jungere possint; jam inquiramus, an liberis concedatur, aut insensib[us] parentibus, aut illis contranitentibus, connubium aliis polliceri. Secundum jus Romanum solius patris consensus necessarius erat. Patres enim Romani in totam familiam despoticum quoddam imperium habebant. Mortuo tamen Patre, circa filias elocandas aliquo jure matres gaudebant. Jus Canonicum utriusque Parentis consensum circa sponsalia requirit. Hoc etiam convenit cum jure naturali, cuius intra limites nobis est subsistendum. Fundamentum potestatis patriæ antea constituimus libero-rum educationem & curam felicitatis illorum, q[uod] sine controversia non ad Patrem solum, sed juxta ad Matrem quoque pertinet. Posito autem quod parentes Liberis prospicere debeant, sequitur tantam illis competere potestatem, quanta ad hoc opus est. Sed nihil magis, vel secunda vel aduersa liberis adferre potest, quam conjugium, prout bene vel secus contrahunt fuerit. Ergo sponsalia cœu pacta de futu-

ro matrimonio, Parentum consensum exigunt & approbationem. Huc accedit qvod per matrimonium externæ quædam personæ in familiam inseruntur. Parentum vero interest ne familia aliquo dedecore adficiatur; qvod tum fieri potest, ubi connubia ineuntur cum Personis vel in honestis vel in paris omnino conditionis; Hoc igitur ut præveniatur eorum circa sponsalia consensus reqviritur. Hic tamen observandum est, an liberi in Parentum familia vivant, an vero ex illa sint egressi, si enim sui juris facti fuerint, & vel in muneribus publicis, vel administratione cœconomica prudentiam probaverint, circa consentium sponsalitium largior illis competit decernendi facultas. Atque etiam, si liberi intellexerint Parentes sine justa ratione honestis suis desideriis resistere, openi judicis implorare possunt, cujus est, causa cognita, ut in ceteris, ita hic quoqve sententiam iustitiae & æquitati congruam ferre.

§. XII.

QVIN sponsalia æque ac cetera pacta sub certis conditionibus iniiri possint, nullum est

est dubium. Hæ pro varia indole dispeſuntur in necessarias & contingentes, possibiles & impossibiles, honestas & turpes. Sponsalia iis conditionibus contracta, qvæ non posſunt non fieri, a paris non aliter diſerunt, qvam ratione executionis, qvæ ſuspenditur, donec conditio fuerit impleta; Pura qvippe hic naſcitur obligatio. Qvod si rem attentius conſideremus, qvæ necessaria ſunt futura, inter conditiones necessarias non referuntur. Nam hæ aliquid contingens in ſe continere debent. Neq; minus valide sponsalia federa ſanciuntur ſub conditionibus contingentibus poſſibilibus & honestis. Etsi enim conditione pendente nulla ad it obligatio ad matrimonium ineundum, quū hac deficiente nihil promiſum ceneſatur; ab expectione tamen eventus conditionalis nequitq; recedere licet, quo praefente, obligatio ad contrahendum matrimonium pura eſt atque perfecta. Matrimonia vero ſub conditionibus impossibilibus promiſa, irrita ſunt & invalida. Patet hoc ex iis, qvæ de consentu antea diximus. Qyomodo ad hoc valide consenti-

re possum, quod significavi me velle sub ejusmodi conditione, quae nunquam existere potest: e.g. si talis fuerit conditio: Eris mihi sponsus, si mare exhausteris. Hec idem valet ac si dictum fuisset: Quemadmodum fieri nequit ut mare exhausteris; ita mihi sententia stat, te nunquam conjugem accipere. Neque conditiones, quae Legi Naturali, Positivae Divinæ, vel Civilis contrariantur, ullam producunt obligationem. Nam omnis obligatio vim habet a lege; quare, quod cum illa pugnat, robur inde accipere nequit. Neque admittenda est distinctione inter conditiones, quae essentiam matrimonii destruunt. e. g. eris mihi uxor, si lenocinium exercere volueris; vel quae cum illa consistere possunt. e. g. Ducam te uxorem si sursum feceris. Ambæ enim sunt illicite, ideoque habentur pro nullis. Quamvis sponsalia conditionata quoad valorem obligationis parum aut nihil cedant puris; interim tamen negandum non est, quin mora eventus conditionalis defiderium sœpe exciter a pacto recedendi, idque præcipue apud homines ventosos. Præterco ce-

ceteras molestias, quas quedam conditionum genera secum habent conjugias. Ideo vero eorum sententiam non probamus, qui sibi persuadent amorem sincerum cum conditionibus viræ commodioris agendæ caussa sponsalibus adjectis consistere non posse.

§ XIII.

EX dictis patet, qui in puerili ætate adhuc sunt constituti sponsalia inire non posse. Non dum enim illa judicandi facultate pollut, quam consensus sponsalitius postulat. Hinc quæ inter impuberis intercedunt conditiones, promissiones tantum sunt de futuris sponsalibus, cum illa conditione connexæ, si ubi ad justam ætatem pervenerint in eadem persistenter sententia. Si vero alter fuerit annis maturus, huic fidem liberare incumbit; ab altera parte negotium in dubio hæret, donec præsente pubertate vel consensum vel dissensum declaratione valida indicare possit. Ubi vero Parentes consenserunt, quantum in ipsis est, id promovere debent, ut filius vel filia in proposito perleverent. Hi enim pro sua parte plene consentire

potuerunt; impedimentum quippe etatis in liberis ad hos non pertinet. Ex pleno autem consentiu valida exoritur obligatio, ad omnem moraliter possibile hic extendenda. Atque ubi leges civiles sanciunt invalida esse impuberum sponsalia; hoc ita est intelligendum, quod ipsi puberes facti, sententiam mutare queant. Inde tamen Jus tertio haud quaquam existit, contra fidem stipulatam agendi. Id enim dolus est, qui in legibus frustra patrocinium querit. Plura, quae circa praetens argumentum dicere constituimus, in futuram differre occasionem, in opinatio cogimur Hisce itaque Benevole Lector vale, & ausibus innoxiis fave.

S, D, G.

Corrigenda.

Pag. 3. l. 8. lege bona a se vita functis relicta pag. 5. l. 6.
 leg. qui, ibidem lin. 15, leg. cev. v. 7. linea penultima lege
 Phariseis. p. 8. l. 8. leg. v. 7. p. 13. l. 19. lege, ejcturus, p.
 15. l. 2, leg. identitatem.

